

8.

De inspiciendo ventre e) custodiendoque partu sic Praetor ait: „Si mulier mortuo marito praegnantem se esse dicet, his, ad quos ea res pertinebit, procuratoriue eorum, bis in mense denunciandum curet, vt mittant, si velint, quae ventrem inspicient. Mittantur autem mulieres liberae dumtaxat quinque: haeque simul omnes inspiciant; dum ne qua earum, dum inspicit, inuita muliere ventrem tangat. Mulier in domu honestissimae feminae pariat, quam ego constituam. Mulier ante dies triginta, quam parituram se putat, denunciet his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusue eorum, vt mittant, si velint, qui ventrem custodiant. In quo conclavi mulier paritura erit, ibi ne plures aditus sint, quam vnus: si erunt, ex vtraque parte tabulis praefigantur. Ante ostium eius conclavis liberti tres, et tres liberae cum binis comitibus custodiant. Quotiescumque ea mulier in id conclave aliudue quod, siue in balineum ibit, custodes, si velint, id ante prospiciant: et eos, qui introierint, excutiant. Custodes,

e) *De iure ventris consulendi prae caeteris Fr. Pruckmann de inspiciendo ventre; in tract. de different. vtriusque sexus. Francof. 1586. 4. Alex. Arn. Pagenstecher lib. sing. de iure ventris; acc. diss. binae de cornibus et cornutis. Brem. 1703. et it. 1712. 4. Jo. Fr. Hertling diss. de phaenomeno Justiniani, praesagientibus titt. D. de insp. ventre, nec non de ventre in poss. mitt., siue de ventre illiusque iure, vulgo vom Hånschen im Keller. Heidelb. 1712. et Lips. 1734. 4.*